



A 231  
4

Hist.

III. C. 3.


Quarto - 12. 522

Central  
Bank für Deutsches Reich  
Gesamtverband  
Deutschland  
Deutsche Reichskommission

J. VI, 881.

III 4<sup>to</sup> T. M. 3.





DISSERTATIO PHILOLOGICA

DE

# CONSERVATIONE FOEDERIS

IVREIVRANDO FIRMATI,  
HOC EST,

EXPLANATIO COMMATIS, 4. PS. XV,  
QUA OCCASIONE, VARIA SCRIPTURÆ S. LOCA ILLUSTRANTVR,  
INPRIMIS ILLE, QUI HABETUR Matth. V, 33. seqq.  
QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

GVILIELMO HENRICO,  
DVCE SAXONIÆ, JVLIACI, CLIVIÆ, MON-  
TIVM, ANGARIAE ET WESTPHALIAE,  
AC RELIQVA,

BENEVOLO SUPERIORUM CONSENSU,

*PRÆSIDE*

LEONARDO HOFFMANNO,

PHIL. M.

ERUDITORVM JUDICIO SVBIICIT

*DEFENDENS*

GEORGIVS LVDOVICVS RAVTENBERG,  
CELLENSIS, PHILOGRAE ET THEOLOG. STUD.

---

AD DIEM XX. APRILIS, ANNI M DCC XX.

---

*JENAE,*

LITTERIS NISIANIS, IMPRIMEBAT JOH. VOLCKM. MARGGRAF.

LIBRARIATO IMPERICIO  
CENSUS BREVIO  
IN  
EXALITATIONE DOMINI  
RECEPTE MAGNIFICENTIA  
GATHENIUS ENRIQ.  
FENAVOLO SILENTIUM CONSERVANDUM  
OMNIA MELIORA ET CESSANTIA  
CLERICIS TUTORIO ET BAR  
TAM ET ALIAS IN TERRA  
TAM ET ALIAS IN TERRA

VIRIS  
REVERENDISSIMO atque ILLUSTRI  
DOMINO  
**GERHARDO,**  
LIBERI ET IMPERIALIS MONASTERII  
LUCCENSIS  
ABBATI SUMME VENERABILI,  
POTENTISSIMI ATQUE INVICTISSIMI  
MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS,  
SERENISSIMI ELECTORIS BRUNSUICENSIVM  
ET LUNAEBURGENSIVM,  
SACRORVM ATQVE TOTIUS CLERI IN  
UNIVERSO ELECTORATU  
PRÆSULI ET DIRECTORI GRAVISSIMO, SENA-  
TUS SANCTIORIS ET ECCLESIASTICI, AC Æ-  
RARII PROVINCIALIS SENATORI PRUDENTISSI-  
MO, STATUUMQUE IN DUCATU CALEN-  
BERGENSI PRIMATI EXCELLEN-  
TISSIMO.

NEC

NEG NON  
MAGNIFICO AC SUMME REVERENDO  
DOMINO

# DAVIDI RUPERTO ERYTHROPILO,

MAGNI NOMINIS THEOLOGO,  
POTENTISSIMI MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS  
ET SERENISSIMI ELECTORIS BRUNSIENSIS  
ET LUNAEBURGENSIS, A SACRIS PRIMARIIS ET  
CONSILIIS ECCLESIASTICIS, ECCLESiarum  
NEOSTAD. SUPERINTENDENTI GRAVISSI-  
MO VIGILANTISSIMOQVE,

ITEM  
MAGNIFICO aique SUMME REVERENDO  
DOMINO

# LEVINO BURCARDO LANGSCHMIDIO,

SACRÆ MAJESTATIS REGIÆ MAGNÆ BRITAN-  
NIÆ, ET SERENISSIMI ELECTORIS BRUNSI-  
ENSIS ET LUNAEBURGENSIS A SACRIS ET  
CONSILIIS ECCLESIASTICIS,

PATRONIS SUMMIS OMNI PIETATE  
ATQUE OBSEQUIO COLENDIS  
VITAM FELICEM, FAUSTAM, FORTUNATAMQUE  
APPRECATAR,

TANTORUM NOMINUM DEVOTUS CULTOR  
GEORGIVS LUDOVIVS RAUTENBERG.



**T**magnum decus in eo positum  
est, de re bene mereri publica: ita  
nihil præstantius, nihil præclarior  
unquam dici, aut cogitari potest,  
quam sacris non modo operari, sed etiam co-  
rum cognitionem longe lateque diffundere, at-  
que homines ad æternam perducere salutem.  
Etenim, quo magis operationes ad sanctiora di-  
riguntur, eo magis ad DEUM O. M. dedu-  
cunt. Non possunt quidem humana prorsus  
negligi, nisi quis civitatem, quam vocant, Pla-  
tonicam sibi fingere velit: at vero illis adeo in-  
hærere,

narrere, ac si nobis perpetuo hisce caducis perfrui liceret, plane nefas esse videmus. Quare sapientissimos quosque eos imitari constat, qui non tantum vitam ad voluntatem divinam, quam habent perspectam, componunt suam; sed etiam omni cura, & cogitatione eo labrant, ut aliorum dirigant actiones, atque eorum promoteant salutem. Hoc ipsum est, quo sanctissimum DEI nomen celebratur, atque regnum divinum nimium quantum augetur. Cum itaque, Viri Summi, Patroni Optimi, id nunquam non egistis, ut tam illorum, qui fidei vestrae commissi sunt, quam animus vester, in rebus divinis, ac voluntate DEI sic fixus, & locatus: ex eo munere gravissimo tantam felicitatem ac laudem consequimini, & jam consecuti estis, quantam vix mente conceperem possumus, quam nulla delebit oblivio. Vos vero, qui officio ducimini, ut divina sapientia sitis Interpretes, assidui estis in meditandis sacris, & veluti Legati Dei divinum

num magni habetis sermonem, atque ex vestro  
ore, tanquam fonte limpidissimo, oracula DEI  
fluunt exposita. Quapropter etiam Vos, cle-  
menter & benigne, hoc quicquid est speciminis  
sacri, accepturos esse, confido, quod Vobis  
dare, dicare, & consecrare audeo. Hoc  
ipsum non modo pietas, & observantia erga  
vos mea, requirit: sed etiam, dum patroci-  
nium bonarum litterarum suscepisti, quam  
maxime meum esse intelligo, ut Vobis submis-  
sa significarem mente, quid moliar, quibus sim  
addictus, & quæ studia juxta atque officia à  
me exspectare possitis. Accipite itaque hanc  
qualescumque lucubrationes, ut obsequii in Vos  
mei monumentum, accipite eas, tanquam ani-  
mi devoti tesseram. Si DEUS facultatem  
majora tentandi concedet, etiam illa a me ex-  
spectetis, submisse rogo atque contendeo. In-  
terea loci, servet Vos divinum Numen in re-  
ctæ conscientiæ exemplum, in Orthodoxæ ec-  
clesiæ columen, in Orbis eruditii pignus, atque  
omnium

omnium bonorum solatium: jubeat Vos flo-  
re in multos annos, præsterque incolumes  
quam diutissime. Sic spem concipio magnam,  
me summo vestro patrocinio munitum, con-  
secuturum esse omne illud, quo hominis felicita-  
tem absolvit sentimus.

Jenae, d. XV. Apr. Anni MDCCLXX.



כעאכ

§. I.

**N**iculum, quo hominum adstringitur fides, nullum arctius esse jurejurando legitimate concepto pariter, atque juste dato, indicat ejus vis, atque rei gravitas. *Namque*  
*(a) religiosam illud esse assertionem, qua*  
*Dei misericordie renunciamus, aut penam divinam in*  
*nos depositimus, nisi dicamus verum, cognitum omnibus*  
*atque perspectum ducimus. Quare sanctum id ipsum*  
*firmumque vult (b) sana ratio, volunt (c) Oracula divi-*  
*na. Quis itaque dubitabit, quin perjuros gravissimæ ma-*  
*neant poenæ? Quid? quod haud raro etiam in hac vita,*  
*Deus scelerum speculator & vindicta, in eos edidit exem-*  
*pla, qui fidem sacramento firmatam, turpiter refelle-*  
*runt. Quorum tremendum sane est illud, quod statuit*  
*in Saule, atroci illo Davidis hoste. Is enim cœcā di-*

A

ctus

Etus suspicione, in Davidem capitale concepit odium, adeò, ut nulla ratione à suo præpostero abduci posset contatu. Agnovit quidem sémel iterumque facinoris sui immanitatem, sed subinde etiam jurejurando obstrictus (d) ad præpostoram rediit mentem. Propter gravissima itaque ejus peccata, Deo ad vindictam concitato, relatus, ipse sibi violentas intulit manus.

- (a) *Vid. Sam. Pufendorfius de jure naturæ & Gentium Lib. IV. C. II. §. 2.*
- (b) *Hinc in legibus XII. Tabb. scriptum deprehendimus: pejuri poena divina, exiitium, humana, dedecus esto. Vid. I. Vincentii Gravinae Originum Juris civilis Lib. II. p. 333. edit. Lips. 1708.*
- (c) *Conf. Levit. XIX. 12. Zach. V. 4.*
- (d) *Vid. i. Sam. XIX. 6, it. 9, seqq. Coll. Cap. XXXI. 4. seqq.*

S. II.

Quotiescumque igitur Davidi, legem Dei ejusque iustitiam meditanti, veniebat in mentem, hujus, aut ejusmodi tristissimi casus, toties procul dubio, in ceteris etiam perjurium omni malo pejus fugiendum esse putabat. Divino enim afflatus spiritu, de fucato perfidoque foederato multum conqueritur, atque interitum illi unacum sociis, certo instare pronunciat Ps. LV. Eum vero perpetuum Dei civem agnoscit, qui vitæ integritatem animi sinceritate probat, atque jusjurandum rite præstitum omni ratione sanctum servare laborat. Hoc enim extendit, ut celebretur Numen divinum, & reipublicæ bonum adjuvetur. Id quod nos docet Ps. XV. Cum ibi varia

varia de hærede regni DEI, atque fidei fructibus exposuisset; tum v. 4. dicit: **שׁבָע לְהַרְעֵל וְאִימֶר** Sed quoniam omnes, quoscumque oculis usurpavimus divinæ sapientiae interpres, verum diujus commatis migrarunt sensum, ejus explanationem in praesente dabimus.

## §. III.

Omnem difficultatem redire ad dictionem **נְשָׁבָע לְהַרְעֵל** quisque perspicit: quare ad eam maxime ad vertamus animum, atque curatius paullo hanc examinemus, necesse est. Duo itaque præcipue nobis proposuimus: Unum, ut ex ingenii monumentis proferamus in mediuni opiniones, quas nobis scripturæ sacræ reliquerunt vates, eorumque argumenta confutemus: alterum, ut nostram apériamus sententiam, atque eam rationibus, quantum res postulare videtur, confirmemus.

## §. IV.

Primi igitur omnium, qui nostrum transferre co[n]nati sunt textum, se nobis offerunt LXX. quos dicunt, Interpretæ. Qui, ut alibi sèpius, ita etiam in nostro comitate, judicio lapsi sunt: quippe illud græce reddiderunt: **οὐ πινακίδης τῷ στόλῳ ἀντέ νε ἐπέστω, qui jusjurandum præstat proximo suo, neque illud irritum facit.** Hos deinceps secutus est Syrus, hisce mentem exprimens suam: **لَمْ يَكُنْ لِّمَنْ يَجْعَلْ مَنْ** qui jurat proximo suo, nec fallit. Eodem modo convertit Arabs. Neque ab hac sententia alienus fuit Aethiops, Autor versionis vulgatae, Castalio, B. noster Lutherus, sagacissimus

A 2

alio-

4 DE CONSERVATIONE FOEDERIS

alioquin divini sensus indagator; B. Mart. Geierus, Jo. Pricæus, & alii plures.

§. V.

Honesta quidem est oratio eorum, quorum jam fecimus mentionem: sed omnes voci לְהַרְעֵנִי nominis imposuerunt significatum, quem tamen non admittit, sive punctorum, sive litterarum velis habere rationem. Quare Calvinus, in suo ad h.1. Commentario, recte scribit: *Optime Quadraret Graeca versio, nisi puncta obstant.* Proximum enim Ebræi voce רָעַה vel רָעַי, nunquam רָעַי significant. Neque (e) substitutionem vocalis (-) pro (...) hic locum habere, Ebræi idiomatis periti facile agnoscunt: quoniam ea non æque in nominibus, atque in verbis habetur. Deinde litteræ verbi potius, quam nominis referunt formam: quippe נְאָתָּה Articuli, accedente una ex litteris נְלָכָּה, tantum non ubivis abjicitur. Retinetur quidem illud, præter morem, Ps. XXXVI. 6. Gen. XXXIX. II. I.Sam. XIII. 21. Eccl. VIII. 1. Ezech. XLVII. 2. &c. Sed ad ea, quæ præter consuetudinem in s. codice posita sunt, non oportet nos delabi, si rem familiari ratione expedire possumus. Quare significatio nominis aliena erit, quoconque etiam sensu vocem לְהַרְעֵנִי exprimere velis.

(c) *Conf. Viri S. R. Dni, D. DANZII, Praeceptoris mei longe celeberrimi, Instit. §. 24. IV. 2.*

§. VI.

Id quod jamdiu est, cum perspexisse deprehendimus Ebræorum Doctores: quippe, quoconque nobis conferre

ferre licuit, verbi sensum exprimunt omnes. Chaldæi namque Interpretis verba sunt : **רוּמֵץ לְאַבָּא שָׂאָל גְּרִמָה** qui jurat propterea, ut ipse se malo afficiat, neque mutat. Quibus docet, teneri illum jurandi religione, qui sese obstrinxerit, se velle v. c. corpus inediâ frangere, vel corrumpere vigiliis, ut eo melius voluptatum se expedire illecebris, atque a DEO præcepta servare possit. Judæis enim in more positum fuisse jurare, aut nuncupare (f) vota, ad promtiorum præstandam mandatis divinis obedientiam, illorum scripta satis superque comprobant. Dicunt ejusmodi jusjurandum (g) jusjurandum effutum, ex eo, quod habetur Lev. V. 4. Hoc cuivis probo licet esse, contendunt, quippe id ipsum Davidem præstissime arbitrantur. Namque in Tr. Chagiga, fol. 10. b. asserit Rabh Gidal, dixisse Rabh : **מןין שנשבען רקיעם** ex Scriptura Sacra constat, quod possit quis jurare ad servandum aliquod præceptum ? Resp. ex eo, quod dicitur (Ps. CXIX. v. 106) **juravi, etiam adimplebo servando jura iustitiae tue.** Clarius id ipsum cognoscere est ex Tr. Nedarim, fol. 8. a quando dubitanti, annon homo, jam inde usque ab eo tempore, quo lex divina in monte sinai est data, obstrictus sit ad servandum a DEO mandatum ? respondeatur : **חָא קָמֵל דְשָׁרוֹ לֵי לְאַיִנְשׁוּ** hoc (Davidis factum, quod habetur Psalmus supra dicto) docet nos, homini permisum esse jurare, ut ipse se excites. Cum in explanatione hujus loci quærit

מִנְיָן שְׁרֵבֶר הַגָּזָן הוּא לְהַשְׁכַּע לְקִיּוֹת  
 rit R. Nissim: Unde constat, homini licetum esse jurare  
 ad servandum aliquod preceptum? ei respondetur:  
 ואפּוֹלָו כְּשָׂרֶוּת שְׁנָמְנָעִין מְשֻׁבָּעָה נְשָׁבָעִין הֵן בְּכָךְ  
 שְׁנָמְרָנְשָׁבָעָתִי וְאֲקוּרָתִי כְּלָמָדְרָשָׁרְוּ רְוֹר הַהֲעוֹשָׂה כֵּן  
*Quamvis sint probi, qui se se cōsibent, quo minus ju-*  
*rent, jurare tamen possunt in ejusmodi quid; quoniam*  
*dicitur (Ps. CXIX. v. 106.) jurari, etiam observando effi-*  
*ciam &c. Idem est, ac si dixisset: Ecce David ita fecit.*  
*Conf. Maim. Hilcoh Schevuoth Cap. XI. §. 3.*

(f) In codice Pirke Abboth Cap. III. th. 13. dicitur  
 נְרוּבָּה סְוִוג רְפָרוּשָׂוּת  
*vora sunt septimentum viæ sanctæ, conf.*  
*Obad. de Bartenura ad b. l. iem, auctor Libri Orchooth*  
*Zaddikim p. m. 98.*

(g) Hujus jurisjurandi quatuor numerant species Talmudis  
 Doctores Cod. Schevuoth C. III. fol. 19. b. circa  
 finem, quarum duæ de re præterita. & duæ de re agunt  
 futura. Quare etiam Maim. Hilcoh Schevuoth C.  
 I. §. 1. scribit: חַיָּה נְחַלְקָת לְאַרְבָּעָת חַלְקִיּוֹת  
 שְׁחוֹת לְחַכָּא. וְשְׁחוֹת לְשָׁעָר dispeicitur illud  
*(jusjurandum) in quatuor partes, quarum duæ rem fu-*  
*turam, & duæ rem præteriam respiciunt. Contra qui-*  
*dem sentit Rabbi Ischmael cap. eodem tr. Talmudis*  
*Schevuoth fol. 26. a. & illas tantum admittendas es-*  
*se contendit species, quæ rem complectuntur fu-*  
*ram; sed R. Akibha, omnium consensu, evicit contra-*  
*rium. Pro diverso itaque respectu, nunc promissio-*  
*nrum, nunc assertorium erat jusjurandum. Id pro-*  
*ppter falso id interpretatur juramentum promissorium*  
*Joh. Lightfootus in horis Ebr. ad Matthæi Cap. V. 33.*  
 Hoc

Hoc ad rem quamlibet, etiam levissimam, modo illam vel fieri potuisse neminem fugeret hominem, vel factum non repugnaret legibus, adjeccerunt Judæi. Conf. Maim. Hilcoth Schevuoth c. I. §. 2. & Cap. IV. Et si forte juratum poenitebat facti, eum de jurisjuran- di religione absolvere consuevit, aut celebris aliquis Doctor Judæus, aut tres ex vulgo, si eruditus non erat præsens, Vid. Maim. I. c. Cap. VI. §. 1. & seqq. it. Jo. Christoph. Wagenseili Sota, Cap. VII. p. 784. seqq. ubi prolixius hac de re disserit. In aliis vero iurisjurandi speciebus nunquam absolvunt Judæi. Sunt quidem viri, certa docti, qui contendunt, in die expiationis cuiusvis jurisjurandi solutionem fieri, dictis certis precibus. Sed contrarium loquitur antiquitas juxta, atque Viri Ebræi idiomatis peritissimi. Vid. Maimonides I. c. sub initium cap. VI, Joh. Christoph. Wagenseilius, magnum illud orbis eruditus, dum viveret, decus, jam diu multumque de opinione hac falsa conquestus est, im kurzgefaßten Bericht was es mit dem so übel berufsenen Jüdischen Gebet Olenu für eine elegante Be- wandts habe, p. 165. seqq. Opuscularum lingua vernacula conscriptorum. Quare non est, cur bene multi statuant, Judæo idpropter vix deferri posse jusjurandum. Vanum esse hunc metum, itidem laudatus modo Wagenseilius testatur I. c. p. 169. verbis, quæ sequuntur: Man hat sich dennach wegen der Jüden Mein- Eyds nichts zu beforgen. Denn kein gewissenhafter Jüde, wenn die Christl. Obrigkeit ihm zu schweren be- fiehlet, begehren wird und ist aus des Salman Zevi Ben- spiel zu sehen, wie sehr sie sich für dergleichen Juramenten/ NB. wenn sie wohl eingerichtet/ fürchten. Sed quoni- am ut plurimum illi, qui Christo nomen dederunt, Ju- dices

## 8 DE CONSERVATIONE FOEDERIS

dices, ignorant, quomodo jusjurandum secundum men-  
tem Judæorum sit legitime concipiendum pariter atque iuste-  
dandum, saepius jurando fallunt, Judæi: quippe reser-  
vationibus, quas dicunt, mentalibus, sunt assueti. Est  
ideo animus, ex instituto omnem rem prolixius perse-  
qui, si quid operae pretium me facturum esse intelligam,  
& conatus tuebitur Deus.

### §. VII.

Qua opinione effectum est, ut etiam nostrum lo-  
cum de tali jurejurando exponerent Judæorum Doc-  
tores. Maccoth fol. 24. a lin. 12. ad verba: נשבע להרע  
כ ר' יוחנן ר אמר Quemadmodum  
(fecit) R. Jacoban. Is enim dixit: cibo me abstinebo, us-  
que dum revertar domum. Conf. Taanith fol. 12. a. Pro-  
lixior est in hanc rem, R. David Kimchi, qui in sua, ad  
hunc locum, commentarye, scribit: פ' להרע להרעלגופו:  
בצום ובמספר מן התענוגים וכן לחסך כספו לארקה ולמצאות  
ולא יסיר מפה שאמיר. ומזה שאמיר נשבע לפ' שרוא  
רבך קשה כנגר הרוגוף. נשבע כרי שלא יטרירוה יזר הרע שלא  
SENSUS VOCIS est, (quando quis jurando  
promittit) se velle corpus affigere suum jejunio, Del plan-  
ctu, propter voluptatum illecebras; similiter se velle rem  
diminuere suam, erogando eleemosynas, aut perpetrando  
opera legis, neque revocat illud, quod promisit. Hoc  
enim, quod dixit, ideo jurejurando confirmat, quia res  
est factu difficilis, respectu corporis. Id propter jurat,  
ne subigat eum inclinatio prava, quo minus preset pro-  
missum.

*mifsum.* R. M. b. Majmon Hilcoth Schevuoth Cap. XII §. 11. circa finem, Raschi, Aben Esra, & R. Schelomo b. Melech. ad nostrum comma, cramben opponunt re-coctam : quippe sententiam à majoribus semel conceptam, omnes habuerunt indubitatem. Hanc expositionem deinde, præter omnem rationem, amplexus est B. Seb. Schmidius; nostrum ita transferens comma: *jurat ad affigendum sé, non mutat.* Quæ etiam arrisit recentissime Clar. M. Henr. Bened. Starckio, in notis selectis ad h. l.

## §. VIII.

At vero, nos neque Judæos rem ipsam attigisse estimamus. Est quidem magna omnium consensio ; sed illi pauca ex veritate, multa ex opinione majorum estimare solent. Recte vocem עֲרֵב verbi significacionem obtainere pronunciabant: ejus tamen notationem assequi non poterant. Quapropter tribuunt illi significatum, quem habere non potest. Id quod, eundo per omnia Scripturæ S. loca, probatum dare possumus. Significat enim עֲרֵב vel afficere aliquem malo, sive nocere, ut Num. XVI. 15. Gen. XXX. 7. Zach. VIII. 14. &c. vel male agere, sive peccare. Vid. Jerem. VII. 26. Mich. III. 4. Jes. I. 16. 1. Chron. XXI. 17. &c. nunquam *scipsum affigere, sibi inferre dānum.* Quam significationem sibi ordinarie vendicat illa verborum classis, quam Hithpaël dicere moris est. Quare non est, cur pro sua sententia proferant locum Lev. V. 4. Talmudis Doctores, atque Tr.

B

Sche-

Schevuoth Cap. III. fol. 27. a, eum hac ratione expōnant, ac si homo possit jurare propterea, ut ipse se affligat, vel bona sibi, aut aliis faciat. Ibi enim Deus præcipit: **נֶפֶשׁ כִּי הַשְׁבָעַ לְכֹתָא בְּשְׁפָתּוֹתָךְ לְהַרְעָא אֵו רְחוּתִיבָךְ** *Homo, quando inconsiderate jusjurandum labiis enunciari, sive ad nocendum, sive ad beneficiendum, & quæ sequuntur. Quibus nihil aliud sibi vult summus legislator, quam eum hominem, qui temere, adjecto sacramenti pondere, dixerit, se alteri malefacturum, uti facile fieri potuit, animo conturbato, aut cuiquam promiserit, re non usque quaque pensata, aliquid boni, quod vel præstare non potuit, vel ejus oblitus, non stetit missis, debere victimam. Propterea non videmus, quæ ratione Judæi vi hujus oraculi probare velint, jusjurandum illud, quod dicunt בְּתוּ שְׁבָועָה jusjurandum effutum, posse etiam ab homine probō præstari: quippe h. l de jurejando temere, citra seriam animi agitationem, effuso, agitur. Id quod verba: quisquis labiis temere protulerit jusjurandum, satis clare testantur. Illud itaque sibi sumserunt, contra expressam legis litteram; prout & alias saepius facere consueverunt. Deinde illos Majestatem divinam parum reverenter habuisse, ex eo colligere est, quod etiam in rebus nullius momenti, ejusmodi jusjurandum dare non dubitabant. Notum enim est, admodum (h) familiare illis fuisse, in ejusmodi erumpere verba: **שְׁבָועָה שָׁאֹכֵל וְשָׁלָא אֲכַלְתָּו שָׁאָכְלָתָו אֵו** *juro me comeſſurum, l. non comeſſurum esse; quod co-*  
*mede-**

mederim, aut non comedelerim. Sive quod projecerim lapidem in mare, aut quod locutus sit N. cum N. & quæ familia id genus alia. Reclamant huic levitati juxta, atque improbitati tam (i) jura naturæ lege sancita, quam (k) scripta divina. Et si vel maxime cuiquam sit animus eximia quadam ratione colere Deum, is tamen id propter non necesse habet, interposito jurejurando, promittere se corpus afflicturum, hanc, vel illam legem observaturum, aut erga se, vel alios bene facturum esse, & quæ ejusmodi sunt plura. Omnibus namque hominibus vel ut maxime incumbere, ut Deum, ceu Dominum, & Patrem diligent, ac venerentur, omnesque motus suos, tam internos, quam externos ad ejus voluntatem componant, inter omnes constat. Quare etiam quilibet tenetur temperantia omni modo studere, quin interdum à cibo & potu prorsus abstinere, ut eo promptior sit ad cultum Deo præstandum. Eadem ratione obstricti sumus ad beneficia aliis conferenda, si eorum indigentia id exigit. Tandem plane impium est, quando quis Deum, ut vindicem advocare velit, nisi hanc, vel illam observet legem divinam: quippe nulli hominum integrum est hoc efficere, prouti Deus requirit, si vel centies juraverit. Quis enim par erit servandæ legi divinæ? Nec est, quod dicant idipsum fecisse Davidem Ps. CXIX. 106. quippe eum longe aliud asseruisse, existimamus. Postquam enim ille præceperat, doctrinam Dei esse bene vivendi magistrum, adeoque omnis felicitatis fontem, statim proficitur, se etiam in ejus obsequium suam compo-

posuisse vitam. Tandem post multa, in ea erupit verba: נשבותי ואקימה לשמר משפטך צרך *jusjurandum dedi, etiam eius rationem habui: propterea quod servo iura iustitia tua.* Quibus saltem testatur, se sacramenti, quod dixerit, nunquam depositisse memoriam, sed omni modo in id elaborasse, ut verbum Dei servaret sanctum. Quia integritate munitus innititur gratiae divinæ, ac præsens sibi pollicetur Dei auxilium, rebus adversis. Omnia igitur illa Judæorum commenta, phariseorum redolent hypocrisim; quippe nudo opere, suo satisfecisse officio, opinantur.

(h) Vid. Cod. Schevuoth Cap. III, sub initium; it. Maim. Hilcoh Schevuoth, Cap. I. §. 2, it. Cap. IV. & V.

(i) Non temere dandum esse jusjurandum ex ejus fine intellegere est. Quare recte Sam. Pufendorfius de J. N. & G. Lib. IV. c. 2. §. 2. scribit: *Ubi nec latere potest, nec poenam humanam declinare, qui simplici promisso, aut afferovatione nosfallit, superfluum videtur, juramentum exigere.* Ideo multo minus ejusmodi dicendum erit in re levis momenti, atque familiari colloquio.

(k) Vid. Ex. XX. 7. Distinguunt quidem Judæi inter שבועה בטו' *jusjurandum vanum, & שבועה שוא'* *jusjurandum effutatum.* Vanum versari docent circa res, quæ (a) secundum rerum naturam non sunt possibles, e. g. *Si quis juremento confirmaret, columnam lapideam esse auream.* (b) Quæ ita nota sunt, ut de iis nullus sanæ mentis homo dubitare possit, ut, si quis juraret, lapidem esse lapidem. (c) Quæ jure divino, vel humano sunt illicitæ, v. c. quando quis, interposito jure-jurando, affereret, se nolle hoc vel illud observare præceptum divinum. (d) quæ non sunt in potestate hominis, ut, si quis juraret, se per integrum septimanam nibil cibi esse sumturum. Vid. Maim. Hilcoh Schevuoth c. I. §. 4. seqq. Recte quidem jusjurandum

randum vanum illicitum esse, & contra Majestatem divinam pugnare contenduntur Iudei: sed iusjurandum effutum, non tantum legitime dari posse, verum etiam neminem levitatis patiter atque remeritatis arguere hominem, ex eo probare satagunt, quod habetur Deut. XXIII. v. 24. **מוציא שפהיך השם**

ועשו כאשר נדרה ליהוה אלהיך נרבה אשר דברת בפוך  
*Quod labia tua protulerunt, observes, & facias secundum quod sponte vovisti Deo Ieboe tuo, quod ore suo promisisti. Verum enim vero, agit hic locus tantum de votis, non de jurejurando secundum DEI voluntatem concessio. Id saltem praecipit, hominem quidem non obstrictum esse ad nuncupationem voti; si vero quicquam voverit, voto damnatus, illud etiam persolvat.* Exinde hoc praeceptum affirmativum elicere conati sunt **Judæorum Doctores**: **יקיימ ארכ שבועתו ונדרו** *præster homo suum Jusjurandum, atq; suum votum. Conf. R. Mosis Kotzenensis liber præceptorum magnus, præcept. affirm. 124. Quapropter etiam in præceptis negativis huic jurijurando futili, accommodant verba Lev. XIX. 12.*  
**ותניא לפי שנאמר לא תשבעו בשם לשקר** *Ne jurevis per nomen meum falso, scilicet iusjurandum effutum, uti illi exponunt. Paucis rem complexus est l. c. R. Moses Kotzenensis ad præcept. negat. 239. fol. 69.* **אתם שם ח אלהיך לשוא אין לי אלא בשם** *המיוחר בלבד מנין לרבותם כל הכנויין ה"ל לא תשבעו בשם לשקר ככל השמות שיש לנו ולמרנו מכאן זהירות לשכערת בטוי האמורה במרקא או נפש כי תשבע לבטיה בשפחותם להרע או להוטיב כלומר אוכל ולא אוכל ומרבי לככל אשר יבטה מתרבה לשעבר כגון אכלתי ולא אכלתי כרבי עקיבא בפ"ג רשבועת". נשבע על אהרת מאילו ושיקר כגון שנשבע שלא*

שלא ואכל או נשבע שאכל ולא אכל הרי  
*Est etiam traditio, (scilicet in antiquissimo libro, qui inscribitur Torah Cohanim, & vulgo vocatur Siphra, Sectione Kidduschim Cap. III.) Cum dicitur, (Exod. XX. 7.) ne efferas nomen Jebova Dei tui vanè, non est mibi, nisi tantum de nomine Dei proprio, scilicet Jebova, intelligendum. Linde autem (ex scriptura sacra) probari potest, includenda esse omnia cognomina divina? Ratio respondendi habetur in eo dicto: Ne jures per nomen meum falso, scilicet per omne nomen, quod mibi est. Igitur discimus exinde, admonitionem DE JUREJURANDO EFFUTITO, de quo dicitur in scriptura (Lev. V.) aut anima, quando juraverit, effutendo labii, ad male faciendum, sive ad beneficiendum &c. e.g. si quis dixerit: edam, aut non edam, & in comprehensione omnis, quod effuerit, comprehenditur & illud, quod præteritum, e.g. Cibum sumsi, aut non sumsi, secundum R. Akibba Cap. III. Tractatus Schevuoth. Quicunque itaque jurat, quod nolle edere, & edere, aut quod ederit, & non edat, ecce hoc est iuramentum falso, secundum DOCTORES. Plura vide in Talmudis Tr. Schevuothe cap. III. fol. 20. & 21. it. 25. & 26. Duo itaque sibi sumserunt, contra mentem Moysis, Veteres Judæorum Doctores. Priori dicto adjecerunt *jusjurandum effutuum*, quamvis hujus ibi nulla fiat mentio. Posteriorius extenderunt etiam ad ejusmodi *jusjurandum*, quod temere effusum est, cum tamen illud tantum agat de gravioribus, legitimis, & maxime necessariis. Non quidem negamus, etiam *jusjurandum votis adjectum*, ceteris legitimis, esse præstandum, ut constat ex Num. XXX. Sed ex eo non colligere licet, posse *jusjurandum futile dari* citra profanationem Numinis divini. Ut enim omnis homo qui leviter jurat, abutitur nomine divino: ita etiam ei, non nisi gravi & justa de causa, dicendum est *jusjurandum*. Ibi enim*

nim tantum de eo, quod jam factum & semel emissum est, non de eo, quod secundum mentem divinam præstari potest, loquitur Moses. Duo ideo hosce errores simul atque traditionem, proflus rejicit salvator noster Matth. V. 33. ubi tam præceptum negativum, quam affirmativum supra expositum, in medium profert, omisit votis que secundum Dei legem erant concessa : ταῦτα ἡκόσιατε, οὐτὶ ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις εἰπειν  
κήσις. αὐτοδώτεις δὲ τῷ κυρίῳ ταῦτα ὄφεις σα. hoc est: Traditione, quidem accepisti a majoribz, ne falso iures, scilicet iusjurandum effutum, sed persolvias tua juramenta Domino. Si nimirum interposito jurejurando dixeris: Ego hodie comedam v. g. hunc panem, sicutum, vel uvas, non comedam tecum mel, neque bibam tecum vinum &c. rem jurejurando firmatam etiam præstes. Ἐγὼ δέ λέγω υἱοῖς μη ὀμόσαι ὅλως: Verum enim vero ego dico vobis, nolite ejusmodi dicere iusjurandum, sed proflus ab eo abstineat, quia necessitas nulla requirit, ut iuratis, atque nomen Dei sanctum profanatur. Loquitur itaque Christus tantum de juramentis, que præter necessitatem in confabulationibus, pollicitationibus, votis, & sermone familiari, adhibebant Judæi, uti levis ingenii homines, atque fidei expertes, dicta vel facta temerariis contestationibus confirmare solent. Est enim λόγος totius interdicti objectum, uti videre est ex v. 37. simplici igitur affirmatione, vel negatione, sermonem absolvant, atque veritatem citra ejusmodi iusjurandum, intra sermocinandum, exprimant. Quapropter etiam illis interdixit Christus, ne jurarent per ccelum, per terram, per urbem Hierosolymitanam, aut per caput. Dicebant enim, omniyi, & effaciea ejusmodi iusjurandum destitutum esse, Judæorum Doctores, quamvis jurans mente conceperit illum, qui creavit illud, per quod quis iusjurandum præstuit. Namque Maimonides Cap. XII. S. III. dicit :

בְּחֵן

בָּהֵן אֲפִיל פִּי שָׁאַיְן כּוֹנוֹתָו אֶלָּא לְמַיִּ שְׁבָרָאַס וְאַיִּן זֶה  
 Quicunque jurat per cœlum, per terram, aut solem,  
 & quæ sunt id genus alia, quamvis non alia sit ejus intentio,  
 nisi jurare per eum, qui hęc creavit, hoc jusjurandum est nul-  
 lum. Sed quoniam creator omnium rerum, est ipse Deus Opti-  
 mus maximus, ideo mente concipiens creatorem, ipsum intelli-  
 git Deum, & per eum jurat. Duo itaque præcipit Christus :  
 primo, ejusmodi jusjurandum referendum esse ad Deum, qui  
 omnia condidit, atque adeo contra facientem, esse perjurum:  
 secundo, plane ab illo esse abstinentium. Idem vult Jacobus  
 cap. V. v. 12, ubi euadem jusjurandi notat abusum.

## §. IX.

Hisce, & forte aliis rationibus permoti sunt viri do-  
 etissimi, ut etiam ab hac discederent interpretatione, at-  
 que vel iterum in nominis incidenter mentionem, ex-  
 primentes נִשְׁבַּע לְהָעֵד jurat in, sive ad damnum; vel  
 nominis, & verbi notationeu simul amplectenterentur, eo-  
 dem manente sensu. Namque Jo. Calvinus in suo Com-  
 ment. ad hunc locum, Ebraea convertit in sermonem la-  
 tinum: quum juraverit ad damnum, non mutat. Et in  
 hujus commatis expositione dicit. Sensus est, fideles  
 potius jacturam facturos, quam ut à fide discedant. Nul-  
 la enim fidei approbatio est, ubi quisque stat suis promis-  
 sis, quatenus sibi commodum esse videtur. In eandem  
 sententiam loquitur etiam Münsterus ad h. l. Hebrei,  
 inquit, id intelligent de votis, & materatione carnis.  
 Potest quoque intelligi de quocunque juramento, quod et-  
 iam juranti grave, & damnosum est, quale Jonatban  
 Davi-

Daudi fecerat, qui maluit amittere regnum, quam violare iusjurandum. Idem plane sentit in notis ad nostrum comma, *Vatablus*. Postquam enim illud ex Ebræo idiomate in latinum transtulit: *Jurat in damnum, sive incommodum*; tandem hunc in modum suam illustrat versionem: *de juramento loquitur, quod eisdam nossum sit iuranti, præstat tamen, qui juravit*. Cui opinioni etiam favet *Matthias Flacius* in clave script. S. ad vocem *jurare*: it. *Junius*, & *Tremellius*. Incertum quidem fuisse *Jo. Coccejum*, utrum nominis, an verbi seligeret formam, ex illis colligere licet, quæ habentur in suo, ad nostrum locum, comment. §. 22. Ubi *jurare*, inquit, *de malo faciendo*, est promittere quicquam incommodum, ac molestum sibi. *Hipbil pro Hithpael*. Et post pauca: *Potest etiam iurare ad malum* (לְהַרְעֵל pro עַל) *valere, alteri iurare, sive pacem facere, aut cum eo pacisci cum suo malo, sive detimento*. Mens tamen ejus non recedit ab eorum opinione, quorum jam fecimus mentionem. Tantorum virorum auctoritate atque judicio, deinceps steterunt Interpretes Anglicani, qui ita suam adornarunt translationem: *he that sweareth to his own hurt, and changeth not, qui iusjurandum dat, quod, quamvis sibi ipse sit damno, non tamen revocat*. Quid? quod *D. Henr. Mullero*, illi celeberrimo quondam *Rostocb. Theologo*, hæc sententia tam plana videbatur, ut ei esset argumento, iusjurandum latroni datum præstandum esse, etiamsi vi, metuque extortum sit. vid. *Quæst. Select. Theol. semi-centuria I. Quæst. XIII. §. 4.* *Judæi*, qui transtulerunt

C

Codicem

Codicem Ebræum in linguam Germanicam , eumque charactere Ebræo exscribendum curarunt , præter morem deseruerunt majorum vestigia , atque in utraque versione in hanc concesserunt opinionem.

## §. X.

Verum enim vero , si rem ipsam aestimamus , cogitantes aliud ex alio , etiam hosce magni nominis viros conjectura aberrasse , deprehendimus . Primo enim vocem לְהָרֹעַ nominis formam sustinere non posse , supra §. V. monstravimus . Neque הַ , quod dicunt Articuli , h. l. citra manifestam confusionem verbi לְהָלֹעַ cum nomine , retineri potuisse : quam tamen Ebræi ægre admittunt . Deinde quando נִשְׁבַּע jungitur nomini , mediante litera נִ , vel personam indicat , cui jusjurandum datur : vid . Gen . XXIV . 7 . cap . L . 24 . I . Reg . I . 13 . & sexcenta alia : vel efficit , ut nomen illud abeat in adverbium ( 1 ) e. g Pf . XXIIII . 4 . habetur , וְלֹא נִשְׁבַּע עַל מְרֹמָה , neque jurat dolöse , Zach . V . 4 . חַנְשֵׁב עַבְשֵׁמִי לְשָׁרֶק , qui jurat per nomen meum falso , & sic in ceteris . Qua ratione dictio נִשְׁבַּע לְהָרֹעַ de sententia illorum , qui רַע damnum , vel malum significare contendunt , latine reddenda esset : qui jurat male , ita , ut ei , cui jusjurandum præstatur , damnum vel malum inferatur . Sed hoc non significat cum suo damno jurare , jurejurando sibi dare detrimentum , schweren zu seinem eigenen Schaden . Postremo nullus sanæ mentis homo , se sciens & volens , jurejurando ad ejusmodi quid obstringit , quo ipse sibi magnum inferre posset damnum , ut id propter necesse haberet suam mutare

mutare sententiam. Quid habendum sit de jurejurando, quod vi (m) metuque extortum fuit, aut cui accessit error circa rei essentiam, vel ejus qualitatem commissus, pluribus persequuntur Magni nominis viri vid. Illustris *Samuel Pufendorfius de jure nature, & Gentium Lib. IV. cap. II. §. 7. & 8. Conf. Celeb. Jean. Barbeyrac ad l. c.* ubi in notis, pluribus sententiam Pufendorfii propugnat contra objectiones, quas dedit Mons. La Placette in suo Tractatu, *du Serment*, Lib. II. Cap. XXI. Illud certo persuasum habemus, eos, qui contendunt hujusmodi jusjurandum esse servandum, nullum argumentum posse ex nostro petere loco. Id quod infra pluribus monstratum dabimus.

(l) *Conf. Celeberrimi Danzii Interp. §. XCI. II.*

(m) *Judæi etiam hanc fovent sententiam, jusjurandum, vi, metuque datum, nullum obligare hominem, vid. Mai-mon. Hilcoth. Schevuoth. cap. III.*

### §. XI.

Quæ cum ita sint, tandem ad præcipuum eorum, quæ dicere nobis proposuimus, veniamus necesse est. Nostra scilicet nunc aperienda est sententia, &, ut fieri potest, confirmando, ne magis destruere aliena, quam nostra adstruere videamur. Contendimus itaque vocem **לְהַרְחֵךְ** esse Infinitivum Conjug. Hiphil vocis **רֹעֵךְ** quæ idem significat ac **רֹעֵה** sodalis, amicus fuit. Primo enim non ignoramus, (n) sapissime verba, quæ dicunt imperfecta diversas induere imperfectionis species, eadem manente significatione. Sic **בָּרָה** & **בָּרָה** selegit,

C 2

selegit, secrevit i. Sam. XVII. 8. coll. Ezech. XX. 38.  
שְׁחַחַת & שְׁחָה vixit, Gen. XII. 13. coll. Exodi I. 16.  
depressus fuit, depressit se Jes. LI. 23. coll. Job. XXXVIII.  
v. 40. שְׁסַחַת & שְׁסָה diripuit Hof. XIII. 15. coll. i. Sam.  
XVII. 53.

(n) Vid. Instit. §. 43. Obs. 3. S. R. Dni D. Danzii.

§. XII.

Deinde verbum רְעֵעַ etiam hoc sensu non plane  
in usitatum esse in Sacro Codice, ex Prov. cap XVII. 24.  
colligere licet, quando Regum sapientissimus dicit:  
אִישׁ רְשִׁעָת לְהַחֲרֹעַ, cui sunt amici, illi ipsi gerenda est  
amicitia. Interpretatur hoc comma Jo. Coccejus: *Vir  
fodalis (ad hoc comparatus est) ut scipsum frangat.* Alii  
exponunt: *conteretur tandem* quia עַד etiam significat  
conterere. At vero, qui mentem Salomonis penitus  
paullo examinat, facile perspicit, illi non fuisse sermonem  
de ejusmodi amicis, qui falso ita dicuntur, quorum unus  
alterum poculis poscit majoribus, & hac ratione ei est  
exitio, atque adeo frangit; sed loquitur ille de sincera ami-  
citia, ubi virtutis, non fortunæ tantum habetur ratio. Id  
ipsum comprobant sequentia: *וַיְשַׁׁחַד רְבָקָה מֵאַחֶיךָ* est  
*כִּי-אַתָּה חָבֵר בְּמִתְחַכְּרֵן*. Hanc mentem ferme  
expressit Chaldaeus interpres: *אִיתָה חָבֵר רְמִתְחַכְּרֵן, Sunt  
illis sedales, qui ipsi se socios prestant.* In hanc exposi-  
tionem etiam discessit B. Geierus, in suo ad h. l. com-  
mentario, eamque defensitare laboravit. Is quidem  
medium, quam vocant, radicalem agnovit quiescentem,  
& constituit Radicem רְעוּעַ: Sed si consideramus dictio-  
nem,

nem, **רֹעוּ עַמִּיךְ** affociamini populi, estote amici, Jes. VIII. 9 facile deprehendimus, vocem **רֹעֶשׁ** deducendam esse à themate **רֹעֶה** consociari, socium, vel amicum esse. Hoc enim exigit vocalis 1) ante primam Radicalem, quæ ordinaire indicat formam geminantium secundam, voce in futuro, & imperativo Kal non crescente. Illa in voce **רֹעֵשׁ**, ob Dagesch extrusum, redit. Id quod etiam B. Sebastianus Schmidius perspexit, quando in suo ad h. l. Comment. scribit: **רֹעֵשׁ Vatablus** vertit: *Confringite, sed melius cum Chaldeo vertitur: consociamini;* quod C. Tremellius fecit. Nam non de eo, quod presbiterus hostis, sed quid conaturus, sermo est, ut ex sequenti voce accingite, colligitur. Hoc jam olim advertit ad h. l. **רֹעֶוּ עַמִּיכְם** לשון רעה רשות כחרוגות יונתן: *Achbaro thehabro ו/or aclos סנחריב:* *Sensus dictionis repetendus est ex vocibus רֹעֶה amicus ejus רֹעֶה amicus tuus;* quemadmodum Chaldaice reddidit Jonatban, affociamini, h. e. Societatem inite populi San. ebaribb. Hanc itaque loquendi formam etiam celeberrimis interpretibus dedisse negotium, porro ex verbis eruditissimi Campelii Vitringa, intelligere possumus, quando ad hoc comma, in prolixissimo suo Commentario, sequentem in modum differit: *in versione borum verborum nulla occurrit difficultas, nisi in voce רֹעֶשׁ, quam alii ducent ab etymo רֹעֶה, atque adeo transponunt per quassate, confringite, sive ut Avenarius, secundum hanc hypothesis, multo rectius, mali, h. e. acerbi sitis;* alii volunt esse Pual vocis, *רֹעה,* in Piel **רֹעַה** sociare, & reddunt: *Sociamini,*

ut Chaldeus אִיחָחֶבְרֹו. Utroque exposicio consistere potest cum analogia Grammatica, nisi quod Imperativi Pyal in thematibus tertie Radicalis et quiescentis, minus usitati sint. In flexione tamen ipsa, cum reliqui modi in usu sint, nihil est paradoxi; estque receptum in flexionibus illius forma, ut Kibbutz cum sequente Dagesch resolvatur in Cholem, si sequens littera Dagesch non recipiat. Et Jacobius quidem hic, ut passim, sequitur Paraphrasen, sed eruditus Grammatici Kimchius, et Aben-Ezra analogiae studioſissimi, thema statuunt רַעַע, et explicant per quassatae, confringite ex loco Ps. II. 9. תְּרֻעַת בְּשַׁבְּתָ בְּרוֹל, confringes illos sceptro ferreo. Fatendum tamen interpretationem Chaldei reispsi, et contextui sequenti, multo esse convenientiorem, ac proinde eam potius hic amplectior. Sensum quidem vocis רַעַע asselutus est Vitringa: sed non item ejus notationem. Admittit enim cum Jo. Coccejo ad h. I Imperativum in Pyal, qui Ebrais prorsus est inauditus. Omnis autem res erit plana secundum nostram, quam exposuimus, sententiam.

## §. XIII.

Tandem nostram comprobant expositionem, voces רַעַע & מְרַע, ab hoc themate, quod indicavimus, procul dubio deducenda: quippe hisce in fine crescentibus, vocalis post primam radicalem, non corripitur in (:), includens medium abjectam. Deprehendimus enim, רַעַעם Ps. XXVIII. 3. Jer. XXIX. 23. רַעַעַת Job. IV. 27, רַעַעַת Ps. XLV. 15. מְרַשִּׁים sodales Jud. XIV. 11. Sunt quidem Grammatici, qui singulare quicquam in iisdem observant

vant vocibus, docentes ( .. ) in illis , præter analogiam consuetam , non corripi in ( : ). Sed hac ratione non opus est, ejusmodi quid afferere: quoniam more verborum imperfectorum quoad medium , rem confidere possumus, si vocis יְרָע & מִירָע Radicem constituamus יְרָע amicus, sodalis fuit.

## §. XIV.

Est igitur Commatis , quod exponimus, sensus : qui jurat se velle amicitia fædus omni modo servare sanctum , neque revocat , vel contra facit . Quem tantum non assecutus est Symmachus , qui græc redditum: ἐταῦρον οὐαὶ μὴ ἀλλαγής , jurans se velle amicum esse , vel socium , neque mutat . Hanc quidem significationem vox יְרָע in Kal obtinet: in Hiphil autem יְרָה denotat amicitiam , vel societatem omni studio conservare; in Hithpael se amice gerere . Neglexit itaque adjunctum coniugationis Hiphil , quæ in nostro habetur textu.

## §. XV.

Nec est , quod quis existimet , nostram expositionem esse justo angustiorem , quoniam oratione jusjurandum legitime conceptum , simul atque juste datum , quisque probus servare debeat homo , nisi perjurii crimen incurrere velit . Namque descripturus David hominem sincerum pariter , atque pium , statim sub initium hymni paucis complexus est , quo animo affectum , quibus doctibus verum DEI cultorem oporteat esse instructum . Primo loco requirit ab eo , ut incedat integre , h. e. ut sit simplex , Conf. Gen. XXV. 27. sincerus , vid. Deut. XVIII. 13. &

& nullo vitio, ac scelere contaminatus. Deinde, ut agat justus, & in omnibus negotiis, atque actionibus sine ulla versetur noxa. Tertio, fidem in sermonibus, perpetuumque animi, & linguæ ostendat consensum. Sic gratia DEI munitus, quovis modo fugiat vita, quorum exempli loco nonnulla enumerat, à quibus DEI civem, in ceteris, convenit esse purum. Et quoniam tum temporis violare foedus non verebantur homines, ideo & illos tanquam perjuros, DEO esse abominationi, pronunciat David.

## §. XVI.

Jam inde à priscis temporibus ejusmodi foedera, interposito jurejurando, fuisse inita, vel ex solo sacro Codice cognoscere promptum est. Vid. Gen. XXI. 23, seqq. XXVI. 28. 31. XXXI. 54. 1. Sam. XVIII. 3. coll. XX. 16. 1. Reg. V. 12. &c. Etenim conveniebant, vel de conservanda amicitia, aut simplici humanitate tantum exercenda, vel de damno non inferendo, vel de ferendo auxilio, atque praestanda re quâvis alia. Conf. Pufendorfius de J. N. & G. Lib. VIII. cap. IX.

## §. XVII.

Hæc itaque foedera, DEVIS vult servari sancta, qui perjuros justo persequitur judicio. Quare etiam a Zedekia debitas exigebat poenas, cum fidem datam Nebucadnezari secessisset, vid. II. Reg. XXV. coll. Ezech. XVII. v. 12. seqq. Non enim hac in re, quod licentia fert seculi, aut ratio status suadet, attendendum: sed sanctam DEI voluntatem, atque ejus legem omni tempore sequamur, necesse est. Tunc Sanctissimum Numen adest consiliis, atque bonos tuetur conatus, totumque negotium coronat

F I N I S.

99 4 6988



ursprüngl. Stk. 1 nicht gezählt, da  
Taläl nicht zu ermitteln

1317  
V078

Retr. ✓



TATIO PHILOLOGICA

DE

# ERVATIONE OEDERIS

GRANDO FIRMATI,  
HOC EST,

IO COMMATIS, 4. PS. XV,  
RIA SCRIPTURÆ S. LOCA ILLUSTRANTVR,  
E, QUI HABETUR Matth. V, 33. seqq.  
QUAM

MAGNIFICENTISSIMO  
SIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

MO HENRICO,  
JUÆ, JVLIACI, CLIVIÆ, MON.  
ANGARIAE ET WESTPHALIAE,  
AC RBLIQVA,

SUPERIORUM CONSENSU,  
PRÆSIDE

DO HOFFMANNO,

PHIL. M.  
TORVM JUDICIO SVBIICIT  
DEFENDENS

VDOVICVS RAVTENBERG,  
PHILOLOGÆ ET THEOLOG. STUD.

X. APRILIS, ANNI M DCC XX.

JENAE,  
IMPRIMEBAT JOH. VOLCKM. MARGGRAF.

**Farbkarte #13**

